

## **De cura oculorum in literarum studiis.**

### **Contributors**

Universität Leipzig (1409-1953)

### **Publication/Creation**

[Lipsiae] : [Litteris viduae Langenhemiae], [1766]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/p7b3zx9b>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

LONDON. MEDICAL SOCIETY OF

A D

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

VIRI PERILLVSTRIS

D O M I N I

49  
RVDOLPHI FERDINANDI

LIBERI BARONIS

DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV

HAEREDITARII IN KLEIN-EILA CRASCHEN PAVSEN

DAVBER BVCHWALDE ET BARG

D. XVII. APRIL. A. O. R. MDCCLXVI

HORA X. ANTE MERIDIANA

IN AVDITORIO MEDICORVM

CELEBRANDAM

RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES

GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES

OFFICIOSE INVITANT

TRIVM SVPERIORVM FACVLTATVM

DECANI SENIORES RELIQVIQVE ASSESSORES.

AD

ALBERTO ANTONIO VILLALBA

VIRI PRINCIPALIS

D O M I N I

RAYDOLPHI FERDINANDI

LIBERII BARONIS

DE SILVERSTEIN-PHILICKA

HAEREDITARIJ IN KENNICHIA CASSANEN PAVEN

TATION DE LA CITE DE

LE MOINE

LE MOINE

IN ATTO DE ORDINE

DE LA CITE DE

LE MOINE

DE LA CITE DE

LE MOINE

LE MOINE


LE MOINE

LE MOINE

LE MOINE



DE CVRA OCVLORVM  
IN LITERARVM STVDIIS.



**H**omo, vniuersi telluris et astrorum contempla-  
tor, praestantiam suam comparatione cum aliis  
rebus creatis bene cognoscit, vsum, quem ex  
his percipit, attentius indagat, et commoda vitae inde  
oriunda ita dirigere annititur, vt rebus, in conseruationem  
et oblectamentum suum factis, non laedatur, iis potius in  
omnibus vitae generis vicissitudinibus recte fruatur. Hanc  
corporum naturalium conditionem intelligunt et in vsus  
suos conuertunt ii, qui vel coeci nati, vel per morbum lumi-  
ne oculorum priuati sunt, in quibus plerumque sagacita-  
tem quandam singularem, ideas per alios sensus inuenien-  
di, admiramur, qua ad egregiam memoriae et ingenii ip-  
siusque adeo iudicii vim euehuntur. Re autem accura-  
tius perpensa, praestantiam eorum tantum ad tristitiam  
conditionis eius, in quam coniecti sunt, metimur, longe-

#### IV

que feliciores iudicamus eos, qui ministerio omnium sensuum, inprimis visus, rerum disquisitiones suscipiunt et exsequuntur.

Est certe oculorum singularis aliqua prae aliis corporis partibus excellentia, quam non ex fabrica anatomicè considerata tantum, sed et ex mechanismo, in variis mutationibus conspicuo, physiologicè contemplamur et effectibus cognoscimus. Et si enim in vilissimis corporis partibus, ut in pilo, qui euellitur, in ungue, qui praescinditur, earumque fabrica diuini artificis sapientia non minus, quam in cerebro et corde elucescit: non abiudicanda tamen est partibus quibusdam praestantia, quae, si vlla in parte, in oculo profecto cernitur. Situs bulbi et eius mobilitas, opercula palpebrarum, oculum defendentia, lacrymarum et humoris sebacei inungentis usus et apta deriuatio, concinna bulbi fabrica, in densitate externae, vasculosa vbertate mediae, et neruosa teneritate internae tunicae posita, puritas et dispositio humorum contentorum, ex quibus pelluciditas et ex varia densitate apta radiorum refraçtio cognoscitur, vasa arteriosa oculi, ex intimis sanguinis cerebralibus fontibus maximam partem deriuata, venae, ad facilem sanguinis regressum parandum dispositae, copia neruorum ex secundo, tertio et quarto et maxima parte quinti et sexti paris neruorum ex encephalo oriundorum deducta, horum egregius nexus et consensus, muscutorum teneriorum liberiore motus, haec cuncta, etsi tantum obiter perlustrantur, admirandam oculorum vim satis produunt, et eos, qui in partium harum disquisitione

fitione cum cura versantur, atque ex fabrica actionum compositarum rationes eruere student, non raro velut stupore defigunt. Non tantum autem physiologica oculi consideratio adeo subtilis est, sed morborum genesis in his partibus, et varietas remediorum, tantam rerum diiudicandarum offert copiam, vt certe, si vel maxime nostris temporibus vtilissimis inclaruerit chirurgia oculorum, multa tamen posteris relinquuntur.

Quo nobilior autem et elegantior oculi fabrica est, eo maior cura ab iis adhibenda videtur, qui in variis negotiis hoc visus organum intendunt, vt consilia de vigore et acie eius conseruanda cognoscant. Nimis vero ampla foret tractatio, si ad omnia opificia et artes manuaras, in quibus oculorum cura habenda est, respicere vellemus: sufficit igitur, hac occasione tantum cum illis agere, qui, literarum studio dediti, assidua lectione aliisque vires oculi postulantibus laboribus has partes nimis intendunt, quo ex monitis quibusdam intelligant, quomodo nobili organo visus et tunc parcendum sit, cum eius ministerio maxime indigemus. Quamquam enim omnem hanc rem breui tractatione exhaurire non possumus, tamen annitemur, vt, quid praecipue in oculorum intentione peccetur, indicemus et corrigamus.

Principio ducimur ad puritatem oculi, in quo loco non tantum de bulbo externo, quatenus palpebris obtegatur, matutino tempore, vel vbi puluis aliaue peregrina corpora casu inspersa aut illapsa sunt, lauando et caute abstergendo; sed etiam de obtinenda per curam oculi in-

terna humorum puritate et pelluciditate differendum est. Natura huic rei egregie prospexit. Nam cum post longam quietem euigilamus, vel oculus irritatus est, lacrymae copiosius affluunt, palpebris mobilitatem et corneae splendorem reddunt, indeque squalorem viscidum ex palpebris et glebas ex angulo oculi interno abstergunt. Cum autem vel tenuis puluis, antecedente die in oculum illapsus, vel catarrhalis saepe humoris affluxus squalorem in palpebrarum limbis contrahat, non protinus quidem, sed, postquam grata oscitatione et pandiculatione torporem ex corpore excussimus, oculos quoque aqua frigidiuscula exstergere iuuat: ita enim non tantum impuritates remouentur, sed fibrae etiam non nihil excitantur et quodammodo roborantur.

Monendi tamen hic sunt multi, qui non naturae admonitiones audiunt, sed vbique, etiam cum sani sunt, prophylactica medicamenta quaerunt, ne per nimiam oculi curam damnum sibi attrahant. Commendantur nimirum iis, qui oculorum vires contendunt, varia collyria, interdum ex liquoribus non adeo noxiis, v. c. succo vitis vernali tempore collecto, interdum vero ex spirituosissimis aut fortius adstringentibus particulis constantia, quae quidem medicamenta in variis ophthalmiis non sine fructu adhibentur; attamen et tunc caute applicanda sunt, ne fibras tunicarum nimium adstringant vel siccent, nec coagula humorum inducant, ideoque a sano oculo prorsus aliena sunt.

A puritate autem humorum vniuersalium etiam puritas et pelluciditas humorum, in oculo interno secretorum, pendet. Notum enim est, vniuersales humorum cacochymias, atrabiliariam, arthriticam, scabiosam, aliasque, ad oculum conuerti, de quibus vt caussis grauioris ophthalmiae hic differere nolumus, cum etiam compertum sit, cacochymias ex immunditie corporis natas, et imprimis sudorem pedum, male olentem, subito suppressum, coecitatis abortae caussam fuisse. Dicamus igitur de leuiori et catarrhali ophthalmia, quae saepius oritur, si qui oculis non parcant. Quae si eos afficit, quorum oculi propter literarum tractationem raro quiescunt, omni cum cura videndum est, vt cito discutiatur: quod si enim leuiora haec mala negligentius curantur, et habitualis affluxus redditur, lippitudo chronica et inde enata erosio palpebrarum lacrymas acres reddit: qua re non tantum viae earundem roduntur et saepe inflammantur, sed etiam interni oculi humores sensim inquinantur et obnubilantur.

His vero obiter indicatis, ad contentionem oculorum progrediendum est, quam rem non apte satis declarare poterimus, nisi de lucis radiis moderate admittendis antea loquamur. In loco, solis splendore, vel nimia candelarum et lampadum copia illustrato, cuius parietes calceobducti splendorem reperiunt, versari, nonnullorum animos excitat, ita, vt sine his studia tractare nequeant, sed animi hilaritatem a luce musei proficisci affirmant. Verum quod pauciores, in literis occupati, delectantur tali splendore, nostramque reprehensionem merentur, ad eos magis



gis respiciendum est, qui in umbraticum locum se conferunt, et a nimia lucis excitatione remoti esse cupiunt.

Crepusculi obscuritas, vel debilis lunae splendor, vel exigua lampadis flamma, quae rebus circumstantibus non satis luminis affundunt, cogitationi saepius attentius protrahendae fauent, quoniam ibi, ab omni excitatione externa remoti, varias, quas interdum collegimus, ideas ponderare et diiudicare, ideoque ad veram contentionem studiorum duci possumus. Neque tamen tunc conuenit, eas, quas cogitando assequuti sumus, propositiones accurate in chartam consignare, oculosque ad nyctalopiam adfuefacere, nisi forte didicerimus, oculis quasi clausis characteres quosdam mnemonicos charta consignare. Cum enim et tunc oculus laedatur, quando in obscuro loco unam alteramque rem transitorie quidem, attamen accurate contemplari conamur, multo maior noxa inde oritura est, si studium videndi continuemus.

Non omnibus concessum est, museum eligere, quod aurorae accessus amoeno splendore illustrat, et animum ad matutina studia excitat; sufficit tamen in quolibet museo cum aere liberiore etiam moderata lux. In eo eligendo itaque id praecipue caueatur, ne fenestrae lucem admittant diuersam per diuersa loca, ut a duobus lateribus, vel, quod magis nocet, ex opposito loco, et ita duplex et varia lux, ex vna parte viuidior, ex altera remissior, res contemplandas afficiat, qua radiorum varietate visio confunditur. Vigor itaque oculorum melius conseruetur, si eruditi, dum res suas agunt, vni vel duplici fenestrae

strae, lucem moderatam admittenti, ita se opponunt, ut radii recta, vel, si manu dextra, uti fieri solet, scribant, a sinistra parte irruant, et locum praecipuum maxime, totum vero conclaue molliore luce repleant. Cum autem solis splendor saepe nimia radiorum vi molestiam afferat, eo quoque attendant, ut interdum plagulis fenestrae obducendis eum temperent.

Nocturna vero studia, hyemali potissimum tempore, eruditibus ideo grata et tranquilla sunt, quod noctis silentium idearum collectionem et comparisonem non turbat, sed iuuat: nostrum ergo est, etiam de luce candelarum et lampadum quaedam addere. Aequale tamen lumen et hic quaerendum est, quod nimirum mensam, in qua libri ponuntur, clare, reliquam autem conclaue moderate illustrat. Flamma ipsa, quae splendorem spargit, non vibrante agitatione moueatur, sed tranquilla sit: qua de causa et ellychnii, et olei aut pinguedinis, quae flammam alunt, rationem habendam esse iudicamus, quae res tamen cum ex oeconomis experimentis pendeat, a nobis non fufius recensenda erit. Praeterea etiam cuilibet liberum relinquimus, utrum in his vna tantum, an duobus flammis utatur, etsi vnam et satis magnam ideo conuenire credimus, quod ab ea aequalis splendor vndique dispergitur, et in duplici, nisi recte disponatur, duplex semper radiorum vis in rebus conspiciendis apparet.

Sunt nonnulli, qui concentratum lumen iis, qui studiis continuis detinentur, salubre putent; vmbonem igitur coni truncati, vel alius figurae, ex lamina metallica intus

polita, vel charta conglutinata, superficie interna argento obducta, flammæ circumdant, vnde acrior splendor in res contemplandas deriuatur. Sed nimiam et splendori solis similem lucem collectis his radiis excitari, certum est, quæ non tantum in se nocet, et radiis reflexis oculum iusto vehementius afficit, sed, cum inde etiam reliquum conclauæ obscurum reddatur, et oculi subinde in hanc obscuritatem conuertendi sint, tanta vmbrae et lucis varietas, semel iterumque percepta, oculum vehementer laedit et visum turbat. Alii, qui lucem vmbone plano, vel non nihil incuruato, vel flammæ opposito, vel fronti applicato moderari conantur, in eundem errorem incurrere videntur: quocunque enim modo vmbonem disponunt, variantes semper radios efficiunt. Quamobrem his auxiliis sanos nunquam assuefaciendos esse arbitramur, sed iis tantum hanc veniam damus, qui forte ophthalmia laborantes negotium aliquod, sed celeriter exsequendum, sibi sumunt, cum de reliquo oculis morbo affectis parcendum sit. Nonnulli praeterea ad moderandos lucis radios, in scribendo potissimum, non alba, sed obscuriore, et coerulea saepe, charta vtuntur, ne splendoris reflexi vis oculos fatiget: cum autem atramenti color in subnigra charta lineas ductas obscurius exprimat, vere dubitamus, num ex hoc auxilio magnum in oculos redundaturum sit commodum.

Si itaque ab aliis negotiis ad contentionem studiorum nos conuertimus, videndum est, ne matutino tempore, cum vix surreximus, et vespertino, vbi in obscuriore

riore conclavi cogitationibus tranquilli inhaesimus, protinus omnem vim lucis, etiam temperati, admittamus, sed sensim paulatimque ad legendum et scribendum accedamus: ita enim oculi non subito, sed sensim ad res contemplandas diriguntur, et, si fieri debet, intenduntur. Cum autem omnibus his etiam moderatis oculorum mutationibus, vel optimis auxiliis adhibitis, vigor eorum aliquo semper modo infringatur, diuturna, licet moderata satis, intentio oculorum nunquam concedenda erit: ii potius, qui varia opera oculos plus exercent, interdum a laboribus abstineant, et oculis aliquam quietem permittant. Quemadmodum vero hoc iis suademus, qui moderate legendo et scribendo studiis incumbunt, sic multo magis, qui caractere minuto utuntur, vel monetas splendentes examinant, vel astronomicis et microscopicis, vel chemicis operationibus, fusoriis praecipue, vel disquisitionibus corporum anatomicis occupati sunt, his operibus non quotidie, sed interdum tantum inhaereant, et lucis radios saepe nimis concentratos ita dirigant, ut vim, oculis per haec cuncta illatam, aliquantum temperent, et praeterea oculorum intentionem interdum relaxent.

Nimis longam ingrederemur tractationem, paucis studiorum amicis tantum utilem, si ex musculorum directione et motibus bulbi, pupillae et lentis crystallinae, aliisque fabricae oculi conditionibus, moderamen lucis efficientibus, hanc rem anatomicè et physiologicè disquirere vellemus: sufficiet certe, si consuetaria, ut consilia diaete-

tica, inde eriuamus. Homines iam adulti raro lufci et strabones fiunt, tantum hoc modo, fi fcribendo et legendo vnum alterumque oculum ad varia obiecta diuerfimode detorquent, et ita deprauatam confuetudinem inducunt. Ad hoc itaque vitium ii, qui pueros in initio ftudiorum praecipue regunt, maxima cum cura attendant, cum in ea aetate, vt in aliis rebus, maxima fit confuetudinis vis. Sic et myopia et presbyopia tunc facilius oriuntur, cum obiectorum longinquitas et propinquitas nimia oculi actiones intendit, et mobilitatem eius in rebus varie diftantibus, aequali ratione contemplantis, tollit.

Cum autem haec oculi difpofitio in media aetate iam confirmata fit, haud pauca incommoda, in contentione ftudiorum inde oritura, praeuidemus. Etsi enim haec deprauata videndi confuetudo quafi naturalis fit, myopes et presbytae faepe per plures annos videndo certum locum attingunt, myopes porro, qui corneam et lentem nimis conuexam habent, fenio appropinquante, eas partes quodammodo depreffiores habent: haud tamen negandum eft, nimiam contentionem oculi, quae cum his vitiis coniuncta eft, eum vel fatigare, vel, vitia humorum inducendo, vifum prorfus laedere.

Vitris tunc opus eft vifum iuuantibus. Myopes quidem, ad propiora contemplanda affueti, cum interdum remotiora intueri cupiunt, vitro vel plano, vel non nihil concauo vtuntur, quod vno oculo claufo alteri admo-  
uent,

uent, et ita res oppositas clarius cernunt. Quibus etsi hoc auxilium denegandum non est, monendi tamen sunt, ne crebrius eo vtantur, varia enim ratione vtrumque oculum eiusque teneras partes stringendo, tandem immobilitatem quandam, densitatem et obscuritatem variarum oculi partium efficiunt.

Presbyopes in contrarium vitium incurrunt, et minutos characteres aliasque res, non nisi multum distantes, recte videre possunt, quod quidem sine vi, quae oculis infertur, fieri nequit. Atque si tantum obiter res quasdam intuentur, valida oculi torsio non adeo improbanda est; sin diu alicui studio inhaerent, et plures horas contentiosae lectioni impendunt, perspicillis non nihil conuenis, oculorum tamen dispositioni aptis, vtrumque oculum muniant, quo sine molestia diu hoc auxilio vtantur, nec ad vitra nimis conuexa, iusto citius prioribus substituenda, cogantur. Perspicilla vero consueta vtrique oculo apponi et varia ratione in hoc situ figi volumus, quo visus et tunc sine agitatione fiat: ii enim, qui vitrum magnum conuexum inter legendum manu tenent, et ita magnitudine characterum aucta iuuantur, omnino vituperandi sunt, cum continua vitri agitatio requiratur, qua radii fere semper turbantur, et ita oculus saepe confunditur.

Cum autem in variis remediorum generibus minuti characteres literarum visum nihilo minus tandem debili-

tent, assidui literarum cultores monendi sunt, vt a lectione horum librorum diuturna abstineant, et ea tantum, necessitate iubente, celeriter et ex parte perlustrent et conferant. Male itaque sibi consulunt, qui ea aetate, qua adhuc oculorum acies viget, ad minutos characteres literarum manum assuescunt; experientia enim docuit, collectos hos iuuenilis industriae fructus illis in adulta iam aetate, multo magis senio appropinquante, prorsus inutiles fuisse. Ex libris, forma maxima impressis, cum attenta lectione perlustrantur, haud exiguum oritur incommodum: non tantum enim situs corporis minus aptus eligendus est, sed directio varia oculorum ad variam distantiam eorum vim vehementer infringit. Quam ob rem huic lectioni rarius inhaerendum est, eas tantum partes, quorum notitia nobis maxime necessaria est, transitoria opera perscrutari debemus.

Dum ad finem properamus, de auxilio quodam, oculorum aciem conseruante, breuiter differendum est. Sunt enim, qui fumum herbae nicotianae ore, vel puluerem naribus haustum, oculorum aciei vtilem arbitrentur. Etsi vero non negandum est, in catarrhali saepe ophthalmia vsum nicotianae, inprimis brasiliensis nigrae, foetore maxime molestae, et humores ab oculis deriuare, et inde aliquam vim roborantem exserere, hoc tamen de medicamento tantum vsum dici poterit, ideoque vt in genere, sic potissimum contentioni studiorum assuetis, dissuademus crebriorem vsum huius herbae, vel aliarum rerum, quibus

bus illa corrigitur, quocunque modo in consuetudinem mutatum, nec vnquam hoc praesidium sanitatis admittendum censemus.

Ad literarum studia summa cum cura tractanda Vir Perillustris et Generosissimus Dominus RVDOLPHVS FERDINANDVS LIBER BARO DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV doctrinae nostrae alumnos beneficiis largiter distributis excitauit, dignus propterea, qui ab iis laudetur, quorum res his beneficiis haecenus adiutae fuerunt. Exhibebunt itaque hoc grati animi testimonium.

IOANNES GOTTFRIDVS SCHOENKNECHT,  
GOLDBERGA SILESIVS  
S. S. THEOL. STUDIOSVS  
*De suauitate vitae laboriosae exponet.*

CHRISTIANVS GOTTLIEB GEYSER,  
GORLICIO LVSATVS  
L L. STUDIOSVS  
*De amabili iuris naturae facie, beneficentiae liberalitatis-  
que commendatione maxime conspicua, differet.*

CHRISTIANVS FRIDERICVS TRAVGOTT  
FLEMMING,  
LVCCA MISNICVS  
MEDICINAE CVLTOR  
*De natura medicinam docente aget.*



Ad has orationes beneuole audiendas RECTO-  
REM ACADEMIAE MAGNIFICVM, COMITES  
ILLVSTRISSIMOS, VTRIVSQUE REIPVBLI-  
CAE PROCERES GRAVISSIMOS, nec non GE-  
NEROSISSIMOS atque NOBILISSIMOS COM-  
MILITONES, ea, qua decet, humanitate inuitamus.  
P. P. Lipsiae. Dominica Misericord. Dom. A. O. R.  
MDCCLXVI.

---

L I P S I A E

LITTERIS VIDVAE LANGENHEMIAE.

